



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &
Festos, ab ipso Auctore confectus

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1651

6. Quantus sit diuinitatis [a]emulator diabolus?

urn:nbn:de:hbz:466:1-45699

domades, singulis Mercurij & Veneris diebus *Generale Capitulum* (sic enim vocabant) celebrabatur, apud *Puteum de Dame*, ad quem conuentum ipsa infinitis vicibus accesserat, cum alijs plus quàm sexaginta, qui singuli candelam nigram secum adferbant, & de illa hircina inter cornua lucente, accendebant, quam hircus admotam postico posteriore illo subcaudino flatu accenderat. Quo peracto, omnes tripudium orbiculare, obuerso inuicem tergo iunctis manibus auspicabantur.

Hic rogo Lectorem, ne offendatur ijs, quæ vel dicta jam sunt, vel mox dicentur; cum ijs potiùs, in venerandis fidei nostræ mysterijs, vehementer debeat confirmari. Admiranda enim Dei patientia & longanimitas hominibus nusquam euentius demonstratur, quàm in ijs, quæ in summum omnipotentis Numinis despectum diabolus facit, & facere permittitur. Ille, qui jam olim dixit: *Ascendam super altitudinem nubium, similis ero Altissimo*, etiam adhuc hodie tam superbus est, vt affectet diuinitatem, vanitatemque suam Tartaream cælesti opponat veritati. Nemo idcirco, quia is se finit impiè tamquam Deum adorari, verum Deum non esse rectè colligit. Ponit, non tollit, diuinitatem, æmulatio diuinitatis. Neque Christo aliquid præiudicat Antichristus, etsi conaturus sit omnem Christi cultum cultu suo abolere. Quod etiamnum Spiritus ille efficere laborat. Hinc sicut Deum ipsum, ita & omnia alia diuina peruersè imitatur, quæ ludendo, peruertendoque studet eleuare, extinguere, sibi arrogare. Igitur falsa est etiam femina illa, in singulis sagarum conuentibus, *Missæ quoq; simulacrum exhibitum*, quod qui peragebat (quem illa nominauit) casulã nigrã, crux cui nulla intexta, vestiebatur: loco sacrificij incruenti, & sacra hostia, eleuabat resegmen, siue orbem ex rapa, tinctum fuligine: & eo eleuante, clamabatur à presentibus, vnanimi voce: *Magister adiuua nos*. Calici, loco vini, aqua infundebatur. *Lustralem* verò aquam sic conficiebant. *Scrobi* in terram defossa hircus immingebat: hac vnda, pura scilicet, sacrificij, & aspergillo atro cunctos aspergebat.

Horrent, qui ista audiunt, horreo & ego. Vtinam horrent & illi, qui imitantur! Neque enim in historia narranda possum pergere priùs, quàm aliquid indicem, quod neque à me, neque à magistratu est dissimulandum, multò autem minùs à mortalium

VI.

Isa. 14. 14.

VII.

YYYY 3

talium